
AD. S.D.N. CLEMENTEM 8. PONT. OPT. ET MAX. ORATIO. HABITA CÙM...

Giovanni Francesco Terzani
Cremona






1035
26
DI FIRENZE
NAZ. CENTRALE

XXXVII

TERZA


AD S. D. N.
CLEMENTEM VIII.
PONT. OPT. ET MAX.
ORATIO.

Habita cùm eidem nomine ALPHONSI II.
Estensis Ducis Ferrariæ Serenissimi.

*Obedientiam præstaret Illustrissimus & Excellentissimus
Cæsar Estensis Marchio Monticuli, & eiusdem
Ducis patruelis.*

A Io. Francisco Terzanio Cremona I. C. Ferrariensi.

Pridie Idus Maij M D XCII.



SVPERIORVM PERMISSV.

ROMAE, Ex Typographia Aloysij Zannetti.
M D XCII.

Impensis Octauiani Gabrielij.

AD S.D.N.
CLEMENTEM VIII.
PONT. OPT. ET MAX.
ORATIO.

Habita cùm eidem nomine ALPHONSI II.
Estensis Ducis Ferrariæ Serenissimi.

Obedientiam præstaret Illustrissimus & Excellentissimus
Cæsar Estensis Marchio Montecuti, & eiusdem
Ducis patruelis.

A Io. Francisco Terzanio Cremona I. C. Ferrariensi.

Pridie Idus Maij. M D XCII.





SUPERIORUM PERMISSU.

ROMAE, Ex Typographia Aloysij Zanetti.
M D XCII.

Impensis Octauiani Gabrielli.



ORATIO.



VOD semel atque iterum ego omni studio contendi cùm Serenissimus Princeps meus Alphonsus II. Estensis Dux Ferrariæ inclytus ad hoc idem obeundum munus grauissimum huc me legauit, Pater Beatissime, Consessus Illustrissime, & Sapientissime, illud existimaui hoc tempore parcissimè faciendum mihi esse; Laudaui etenim conquisito in hoc vndecunque pro modulo ingenij mei, & rerum apparatu, & verborum nitore aliquo, summos illos & maximos viros Sacrosanctæ Dei Ecclesiæ præfectos. Verumtamen satis hodie mihi, satis muneris mei rationi fecero, si nudis saltem & simplicibus verbis ipsam, Pater Beatissime, habitam de te diuinitus electionem exposuero; Ornari ipsa extrinsecus negat tam grauis, tam illustris, tam absoluta. Orabat supplex Christiana Respublica effusis cum pijs lachrymis ad Deum Optimum Maximum precibus, vt summis in omni Virtutum genere Pontificibus Vrbano VII. Gregorio XIIII. & Innocentio IX. qui Christiano orbi quasi totidem Soles ostensi in ipso ferè ortu occiderunt, vnus tandem ex amplissimo hoc atque illustrissimo orbis terrarum Senatu sufficeretur Pontifex, quo longioris vitæ spatio diuinas perpurgati animi exercente Virtutes, Christiana ipsa Sacrosancta Ecclesia tot orbata luminibus releuaretur, atque recrearetur. Mentis equidem dotes excelsæ & supremæ illum maximè decent præ cæteris, vnde religiosum optimi & immortalis Dei cultum petunt cæteri, illum, ad cuius præscriptum omnes vitam conformant suam, illum, à quo vno deriuanda est in cunctos fœlicitas; nam eas sacrarum rerum Principi si dempseris languent optimi ordines, maxima quæquè dilabuntur, & flaccescit, ac tandem res concidit publica. Sed ò admirandum & fœlicissimum euentũ, hæc & consimilia piissima Christianorũ societate animis suis & votis concipiente, è regione humanus sensus humanos præferẽs affectus omnia more suo inquirebat, moliebatur diffiniebat; infausta et infœlicia iactabat omina; electionẽ supremi vniuersæ Ecclesiæ capitis à bonis supraquàm dici posset expetitã omnino differendam, atque etiam in annos protrahendã. Quando ecce paucissimis post dies ex quò Patres se Cõclaui cõmisissent, vniuersus ipsorũ ordo tot nominibus illustrissimus & sapiẽtissimus certãtibus suffragijs, & quodã veluti vehementi confluxu Hyppolitum Aldobrandinũ titulo Sancti Pancratij Cardinalem,

nihil minus expectantem, quin etiam, dicam id quod est, reluctantem & inuitum, & Christianæ pietatis atque humilitatis mira dantem documenta, Pontificem salutauit & adorauit. O Pontificem quem fecit Dominus, exultemus & lætemur de illo; Vere hodie Catholica Ecclesia inuocasti Dominum, & ipse te exaudiuit, clamasti & ipse dixit, ecce adsum. Iam profecto nullus compos mentis & consilij dubitare iure potest Immortalis ac Præpotentis rerum omnium effectoris, atque administratoris nutu & prouidentia, quicquid humana ratio ac voluntas contenderit ac repugnauerit, Cardinalem Aldobrandinum Principis Apostolorum successorem, omnium gentium parentem, & maximum Christianæ religionis interpretem creatum esse. Vetus est sapientum verbum; Ex bonis boni, ex fortibus fortes; quod ipsa veritate diuina comprobatum est, Ex fructu dignoscitur arbor, bona facit fructus bonos. Ex bono & forti Syluestro Aldobrandino boni & fortes filij, bonus ille singulari morum probitate, & bonarum scientiarum cognitione; fortis qui excelso & æquissimo animo aduersa pertulit, & ardua aggressus labore improbo omnia vicit; Grauissimus propterea & vere eruditissimus Iurisconsultus, græcarum etiam latinarumque litterarum admodum peritus, iactatus licet grauioribus humanarum perturbationum fluctibus, plena omnis eruditionis edidit monumenta; & vir consilio prudentiaque plane singulari in tota Italia summa fuit gratia, & auctoritate, tum apud amplissimum Rauennæ Cardinalem Benedictum Accoltum, & Serenissimum Guidubaldum Vrbini Ducem, tum vero Hipolitum Estensem excelsæ mentis Cardinalem & Principem, eiusque Serenissimum fratrem inuictum Herculem secundum Ducem Ferrariæ; qua in Ciuitate Syluester cum ingenti Ferrariensiũ lætitia peramãter exceptus varia Iurisprudentiũ officia magna cum gloria aliquot annis gessit. Longe acceptus fuit summis Pontificib. Paulo III. & IV. ab illo in Aduocatorum Cõsistorialium celeberrimum Collegium delectus est, apud hunc non modo functus est munere Delatoris litterarum supplicum tam gratiæ quàm, sicut dicunt, iustitiæ, Referendarium dicunt vtriusque signaturæ, sed eiusdem ab intimis epistolis & secretis fuit, magnorum etiam negotiorum & consiliorum particeps & administer, & in summa ob insignem ipsius integritatem, prudentiam, & doctrinam in gubernanda ditione Ecclesiastica ad omnia grauissima est adhibitus. Boni & fortes ex Patre bono & forti prodierunt filij, Petrus, Ioannes, Thomas, Bernardus, Hyppolitus; O Virtutis in animis nobilium inditum semen, O mirum gloriæ desiderium; fuerunt plerique omnes græcis ac latinis litteris, atque in primis Iurisprudentiæ ac Philosophiæ præclaris disciplinis ornatissimi, sed Ioannes Iuris vtriusque Cõsultus præclarissimus Auditor Rotæ, vt vocant, Romanæ Curiæ iudicia iustissime prudentissimeque exercuit; & ab Pio Quinto illo Sanctæ & immortalis memoriæ Pontifice, cuius etiam Thomas domesticus Secretarius fuit, Purpuratorum ordini cum incredibili bonorum omnium lætitia insertus, ad præclaram omnium ornamentorum

perue-

peruenit laudem; summumque obtinuit intereos locum, qui abditos conscientiæ scrupos peculiari potestate soluunt, ac salutari pœnitentia abluunt sordes criminum, Pœnitentiarius summus is est. Te vero Pontifex Optime & Maxime alto Dei consilio supremus manebat in terris honos; nam Patris, Fratrisque vestigijs insistens, & eisdem laborum atque honorum passibus iter humanarum actionum ingrediens, non modo eos consecutus es, sed Deo ipso duce tanto præcurristi, quanto longius hic maiestatis apex omnibus antecellit; Tu etenim quam mortales cæteri sequuntur eam iam pene manibus apprehensam tenes immortalitatem. Quod bonorum omnium longe maximum Christianus piorum hominum cœtus secundum Dei clementissimi bonitatem acceptum refert singulari tuæ pietati, & prudentiæ, & vigilantiæ, quas eximias virtutes tecum à natura tulisti, & continua morum exercitatione diligentissime excoluisti; omni quidem vita, sed præsertim Auditor Romanæ Curiæ, Cardinalis Amplissimus, Pœnitentiarius summus, & ad Regem Polonorum à latere Legatus; quibus maximis te ornauit honoribus Pontifex Maximus, & vehementis ingenij acie maxime pollens Sixtus Quintus; illudque præ cæteris summa laude de te circumfertur, auersatum te semper fuisse humanas scientias quæ non cum Christiana pietate congruere & conuenire videantur, rectissime quidem, nam ex sanctissimis & doctissimis Patribus aperte licet intelligere quæ monstra generauerint Philosophorum opiniones à Religione, cuius tu hodie solus es & maximus interpres, abhorrentes, Iure itaque optimo hunc amplissimum gradum, Pontificiamque dignitatem tuis meritis ac magnis virtutibus datam esse omnes confitentur; persuasumque habent omnes Deum Clementissimum miseris hisce periculosisque temporibus ad bene de omni Christiana Republica sperandum Te quasi signum aliquod singulari beneficio sustulisse. Illustrissimi atque Optimi Patres ipse attigi, immo potius per capita quasi adumbraui eius, quem vos ad Pontificatus Maximi culmen prudentissime assumpsistis ornamenta; quando cum sermo est de summis vestri ordinis hominibus, quorum absoluta virtus non nisi quod arduum est & perfectum spectat, indecorum est in singulis immorari. Iam vero in hac ipsa communi omnium & præcipua Principum Christianorum gratulatione Alphonsus II. Estensis Dux Ferrariæ Serenissimus ne vni quidem alij partes concessit primas; Ita sane decuit Principem Catholicæ Ecclesiæ cum primis deuinctissimum, siue ipsum tota vita spectemus, siue nobilissimam, & continuato tot seculorum cursu antiquissimam Auorum suorum seriem, siue populos & subiectas sibi vrbes. Accedit Pontifex Optime & Maxime quòd tuus cum sit quaquauersum omnis terrarum orbis, & præsertim omne Christianum Solum tua est præcipuis rationibus vrbs Ferraria; Parentis scilicet tui optimi iucundum domicilium, Charissimorum fratrum honestum Musæum, & infantiæ tuæ dulce solatium vix prius quàm Ferrariense aliud attigisti solum, alium attraxisti spiritum, aliud aspexisti cœlum; sicuti non potes tui ita nec Ferra-

riæ

riæ tuæ quæ te gloriatur alumno obliuisci; quid enim prohibet asseuerare Ferrariam Pontificatus tui quasi basim collocauisse? Ipsa.s. Parenti tuo, cuius præclaram animi bonitatem & vim mirum sanè in modum excitauit, ad omnes copias, atq. ad omnes honores gradum fecit; Ipsa fratrum tuorum quorum alij alio scientiarum genere delectati sunt exercuit, excoluitq. ingenia, atq. illis, quos ipsa pariter Ferrariensis Accademia eggregijs Iureconsultorum Infulis decorauit, ad amplissimas dignitates iter aperuit; Ipsa te Pontifex Optime & Maxime excepit sinu penè infantem, tibiq. cum lacte optimarum artium sucum effudit; Omnium quidem altissimum Aldobrandinæ familiæ hodie erectum conspicimus ædificium, sed eius altius suffossa olim fuerunt à Ferrariensibus, & eorum Ducibus fundamenta. Agnouisse hæc visus est amplissimus Parens tuus quadam grati animi significatione, qui cum vel in Serenissimi Herculis II. Ducis Ferrariæ, vel in ipsius Ferrariæ vrbis mentionem incideret, consueuit familiaribus alloquijs & disertissimis suis scriptis illum cum maxima honoris præfatione Ducem suum, hanc inclytam totius Italiæ Ciuitatem nuncupare; quam & Petrus frater tuus clarissimus Iurisconsultus, Aduocatus Consistorialis, doctissimumq. Auum tuũ Petrum nomine & doctrina referens, elegantissimo Iuris opere quod in publicum dedit, bonarum artium altricem Ciuitatem appellat. Quibus causis omnibus Alphonsum Ducem valde commouentibus, dici non potest quanta alacritate, quam obedientiam & fidem erga Sanctissimam hanc sedem more maiorum, & perenni constantis animi voluntate puram atq. illibatam hactenus conseruauit, eam Sanctitati Tuæ hodie deferat. Defert autem quanta potest maxima reuerentia per hunc Illustrissimum & Eccellentissimum Monticuli Marchionem Cæsarem Estensem Patruelem & Oratorem suum, Principem tanta legatione dignissimum, Alphonso quippe præter sanguinis rationem, fide, & obseruantia coniunctissimum, & tibi Pater Sanctissime propria mentis inductione maximè omnium deditissimum. Alphonsus quæcunq. charissima & maxima habet, ea tibi deuouet & consecrat vniuersa, Vrbes, Populos, Imperium, Vitam, Spiritum quem ducit suum. Tu Pater Sanctissime pro innata tua clementia benigno illum fauore complectere, protege, foue. clemens natus es & clemens vixisti, nec prius esse desisti, quàm terræ possessionem adeptus fuisti; Beati mites quoniam ipsi possidebunt terram; Nam præclarissimum clementiæ nomen quicquid prudentiæ cancellis, quicquid fortitudinis ac temperantiæ finibus, quicquid iustitiæ charitatisq. terminis continetur, excelsa quadam & admirabili ratione complectitur. Quod vnum superest Alphonsus & cum eo pij ac boni omnes valde optant, quod & valde sperãt, productum tibi longissimæ vitæ cursum; Vt quod rectè facis quàm diutissime facias, Digna enim facis Pontifice Clemente Octauo, Quem propitius in omne æuum respiciat.

DEVS OPTIMVS MAXIMVS.

ANTONIVS BVCCAPADVLIVS SECRETARIVS APOSTOLICVS DOMESTICVS.

Ipsius summi Pontificis nomine in hæc verba respondit.



RÆclarè intelligit Sanctißimus D.N.multa potuisse dici quæ silentio sunt prætérita, de Alphonsi Ferrariæ Ducis prudentia, magnificentia, magnanimitate, & cum cæterarum virtutum præstantia, tum quod huius actionis proprium est, pietatis laude, in sanctæ, atq; Apostolicæ Sedis auctoritate, hac tam illustri legatione, & obediẽtiæ testificatione veneranda. Sed agnoscit illius modestiam singularem, qui hoc ipsum vix est passus attingi, cætera maluit in existimatione relinqui, quàm in oratione poni. Quod de se itidem factum vellet S. D. N. Ipse verò semper eximias illius virtutes perspectas habuit, ac plurimi fecit, facietque. Nunc obedientiam accipit animo libentißimo vnà cum his Venerabilius fratribus suis S. R. E. Cardinalibus Sic autem confirmat, quæcunque potest filius optimus sibi polliceri à parente amantißimo, fore semper illi à separatißima.

FINIS.

ANTONIVS BVCCAPADVLIVS

SECRETARIVS APOSTOLICVS

DOMESTICVS

Ipsius summi Pontificis nomine in hac verba respondit.

P[illegible] intelligit Sanctissimus D.N. multa [illegible] atque blandè sunt praedicta, de Alphonsi Ferrariae Ducis prudentia, magnificentia, magnanimitate, & cum caeterarum virtutum praestantia, tum quod huius actionis proprium est, pietatis laude, in sanctae atque Apostolicae sedis auctoritate, hac tam illustri legatione, & obedientiae testificatione veneranda. Sed agnoscit illius modestiam singularem, qui hoc ipsum vix est passus attingi, caetera maluit in existimatione relinqui, quam in oratione poni. Quod de se tamen factum vellet S.D.N. Ipse verò semper eximias illius virtutes perspectas habuit, ac plurimi fecit, facietque. Nunc obedientiam accipit animo libentissimo vnà cum his Venerabilibus fratribus suis S.R.E. Cardinalibus. Sic autem confirmat, quaecunque potest filius optimus sibi polliceri à parente amantissimo, fore semper illi paratissima.

FINIS.

